



II.

IN TURBAM PHILOSOPHORUM
SERMO VNVS ANONYMI.

QUONIAM grave est circa Philosophicas intentiones diversorum librorum desudare, ex quo opus Alchymicum per Philosophos tam diversimodè & singulariter promulgatur, itaque vix homini humanæ vitæ tempus sufficere valet, eorum lectiones explanare & referare. Igitur ex mandato Generosi Domini mei vnicum capitulum ad sui vtilitatem ex omnium Philosophorum intentione sub uno sermone eligere, & aggregare curabo.

Legitur in Turba Philosophorum, quod quicquid veritatis constat in arte Alchymicæ est coniungere humidum sicco, & hoc ab omnibus Philosophis conceditur. Per humidum intelligatis spiritum liquidum, ab omni sorditione purgatum: & per siccum intelligatis corpus perfectum, purum & calcinatum, & revera coniunctio istarum duarum partium, constat penitus in dissolvere & coagulare. Dissolvere secundum Philosophos est corpus in naturam spiritus reducere: Coagulare est spiritum in naturam corporis convertere, & sic corpus efficitur spirituale, & spiritus vice versa efficitur spiritualis, & tunc complentur dicta Philosophorum, ubi dicunt: Fiat fixum volatile, & volatile fixum, & sic Dei gratia obtinebitis totum Magisterium: & scit Deus, quod ista dissolutio nunquam potest fieri sine transmutatione Elementorum: Vnde legitis in Turba Philosophorum: Converte elementa, & inuenies quod quæris. Et quia certò Elementorum conversio nihil aliud est, nisi vnus elementi naturam, in alteram alterius elementi transmutare.

Philosophi dicunt, quod in omni re creata sub cælo, sint quatuor elementa in esse, sed non in apparentia, & dicunt, quod sine quatuor elementis nulla res oriri possit, tamè in di-

versis

*Solutio
Coagulare.*

Conversio

*Conversio
Elementorum*